



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei  
declamatoribus admodum vtilis et necessaria**

**Ammiani, Sebastiano**

**Venetiis, 1562**

Auaritia fugie[n]da est propter quatuor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30415**

*Auaritia fugienda est propter quatuor.*

**P**rimo, quia natura docet; noluit enim natura terram infirmam esse inter creaturas, & pedibus omnium conculcari, docens nos in hoc absque dubio quod debemus conculcare pedibus mentis, & contemnere terrena ista. Et cum anima secundum naturam ad imaginem sit dei facta, & non ad similitudinem alicuius inferioris, potius debet contemnere terrena, & amare caelestia. Vnde D. Bernardus dicit. Ad imaginem dei factus es, ut superna aspicias, & terrena non quaeras. Item anima naturaliter purior est caelo, tanquam Deo similis. Exaltata debet ergo esse a terrenis, sicut exaltati sunt caeli a terra, nam caelum est ubi Deus habitat. Si igitur habes cor, si tibi est lumen oculorum, desine ea sequi, quae assequi miserum est. Secundo, quia deo multum displicet. Vnde

**Psal. 30** David ait. Odisti obseruantes uanitates, idest temporalia, superuacua, idest ultra necessitatem. Et

**Zac. 1.** Zacharias etiam dicit. Ira magna



ego irascor super omnes gētes opulē-  
tias. Et Esaias. Propter iniquita-  
tem auaritiæ iratus sum, & percuss-  
si eum. Sed de hac materia in se-  
quenti capitulo abundantius tracta-  
bitur. Tertio, quia Diabolo mul-  
tum placet. De hoc etiam in sequē-  
tibus clarius dicitur. Quarto, quia  
homini multum nocet. Hoc etiam  
in capitulo de malis auaritiæ copie  
suis tractabitur.

Esa, 57o

*Auaritia displicet Deo pro-  
pter quatuor.*

**P**rimo, quia auarus sibi appro-  
priat ea quæ data sunt ei à do-  
mino, cum ipse nihil habeat à  
semetipso. Vnde Iob dicebat. Nu-  
dus egressus de utero matris meæ,  
& nudus reuertar illuc. ideo Isydo-  
rus dicebat. Circumspice te ipsum  
ò homo, nil tibi arrogas, quæ in te  
sunt, præter peccatum, sed omne bo-  
nū quod habemus, à deo habemus.  
Legimus et in ultimo Paralip. Tua  
sunt omnia, & quæ de manu tua ac-  
cepimus, dedimus tibi. Idcirco Pau-  
lus concludebat. Quid ergo habes  
quod non accepisti, & si accepisti

Iob, 1o

Isyd.

Para, ul-  
timo.

1. Co, 4